

& idem DCE angulus, quia acuto ECB deest ad Rectum, dicitur ejusdem Acuti ECB complementem ad Rectum.

Quod si autem linea incidens, per alteram, cui incidit, transeat, efficiuntur quatuor Anguli, ijque iterum vel omnes æquales, adeoque Recti, vel omnes inæquales, adeoque Obliqui.

Si Obliqui fuerint, talis erit ipforum mutua dispositio, ut Obtusi verticibus suis, Acuti etiam suis se attingant.

Hanc dispositionem Angulorum ejusdem speciei dicunt Græci fieri *κατὰ κορυφῶν*, id est, ad verticem, quod nempe Anguli ejusdem speciei capitibus seu verticibus suis se mutuò quasi feriant. Dicuntur etiam ijdem

Anguli per crucem sibi oppositi. Verbi gratiâ in schemate adjecto incidit linea DE in lineam AB , ita, ut quatuor angulos transitu suo per eandem in puncto C faciat, omnes æquales, atque ideò Rectos, nimirum ACD , DCB , BCE & ECA . Linea verò FG per lineam AB transiens in puncto C ad idem punctum quatuor angulos inæquales facit; ACF quidem & BCG Obtusos

κατὰ κορυφῶν positos; FCB verò & GCA Acutos & ipsos verticibus contiguos.

Quotcunque autem Anguli circa unum aliquot punctum descriptum fuerint, ij omnes simul sumti, quatuor tantum Rectis æquantur.

In proximo Schemate incidit in lineam AB eamque transit,

C 3

præter

